




I. N. D. N. J. C.
EX JURE GENTIUM.
TEXTUS.

 *Is, cui quis per errorem non-debitum solvit, quasi ex contractu debere videtur. Ad eò enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus esse, ut, si certio rem rationem sequamur, magis ex distractu, quàm ex contractu, possit dici obligatus esse. Nam, qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potiùs negotium, quàm contrahat. Sed tamen perinde is, qui accipit, obligatur, ac si mutuum ei daretur, & id eò condictione tenetur. §. 6. Inst. de obligat. quæ quasi ex contract. Conf. §. 1. Inst. quibus modis re contrahit. oblig.*

SCHOLIA.

1. *Vinnius ad hunc tit. fatetur, paulò pinguis dici, accipientem, quod sibi non debetur, obligari ex distractu, idque eò magis verum est, quòd iste distractus sit ex opinione solventis, & accipientis purè extindivus negotii, secùs quàm in transactione.*
2. *Tacitam obligationem hìc fingit l. 13. ff. Commod. junct. l. 33. ff. in fin. de condict. indeb. Sed nemo non videt abusio nem hujus verbi.*
3. *Si quasi-mutuum resalteret, non subsisteret principium, quòd condictio indebiti non detur, ultra quàm locupletior factus est, qui accepit, l. 26. §. 12. de condict. indeb.*
4. *Jus ergo naturæ, simplicitatis amans, explosis istis juris civilis lusibus, talem obligat ex re accepta, ita, ut, si species sit indebitè soluta, non condicatur, sed vindicetur, imò & nummus, five identicus extet, five non.*
5. *Nec ipsum jus civile prorsùs hìc recessit à jure naturali; quoniam furtum fit, cùm quis indebitos nummos sciens acceperit, l. 18. ff. de condict. furtiv.; nec nummi ejus fiunt, l. 43. ff. de furt.*

A

EX